









53.  
Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,

FRIDERICO AVGVSTO,

DE

AVCTORITATE  
RHETORICORVM

AD HERENNIVM,

PRAESIDE

C.S. SCHVRZFLEISCHIO,

Professore Publico,

disputabit

M. LEONHARDVS GEBAVERVS,

Silesius,

RESPONDENS,

Ad DIEM VII. IVLII,

An. c. 10 1000 III

---

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

28

1203,  
6a

Sty









I.

**D**E quatuor Rhetoricorum libris ad Herennium scriptis, diu multumque disputarunt eruditi, quorum alii eos Cornificio, ut vetus tituli scriptura praefert, alii M. Gallioni, alii Virginio, quidam Timolao Rhetori, quidam insigni fiducia freti, Oratorum principi, M. Tullio Ciceroni tribuendos putarunt. Quae controversia ad longum tempus ducta est, auctoribus diversarum opinionum viris, non vulgariter doctis, *Antonio Riccobono, ortu Rhodigino, et Ioanne Mario Mattio, patris Brixiano*, huius praesertim culpa, qui illum recte opinantem, A. cl lbc LXXV. libro annotationum Ticini edito, impugnavit, atque in hac sententia permansit, auctoritate Fabii permotus. Uterque multa existimatione et doctrina fuit, sed longe melius opinioni suae consuluit Riccobonus, idoneis, ut iudico, subsidiis fultus. *Mattius a Matthia Georgio Konigio perperam dictus est Alexandrinus, in Bibliotheca vetere et nova b. V.*



## II.

Argumentis autem gravibus moveor, ut ad Ricoboni causam me adiungam, propterea quod locutio Rhetoris Herenniani permultum a Ciceronis eloquentia distat, et cum talibus saepe vocabulis permixta est, quae neque usurpavit Cicero, neque Ciceronis aetas recepit. Quamquam imitandi industria eius quodammodo similis esse voluit, et bene multa ex Ciceronis de Inventione libris, ne mutatis quidem alicubi verbis, desumpsit. Nusquam Cicero voces *barbarismi* et *soloecismi* civitate Latina donavit, et illis nihilominus in quarto Rhetor iste libro usus est, nullo tamen ab Oratore prodito ad imitandum exemplo. Quamvis apud veros veteresque Graecos, *Aristotelem*, *Dionysium Halicarnasensem*, *Strabonem*, et alios sane idoneos reperiantur. Prudens tamen his Orator abstinuit, in iis etiam libris, quibus de ratione dicendi praecipit, cuius argumenti sunt libri duo *de Inventione Rhetorica*, et tres *de Oratore ad Quintum fratrem*, accuratissime perscripti: item liber unus *de claris Oratoribus*, in quibus recensendis acri et perspicaci iudicio usus est: amplius *Orator ad Brutum*, ubi non praecepta artis, sed effigiem perfecti Oratoris perfectus Orator tradit: deinde *Topica ad Trebatium* uno libro, qui in sex et viginti capita distribuitur, inclusa: tum *partitiones Orato-*

rator.



oratoriae, quarum tres libri extant: denique liber  
de optimo genere Oratorum, ex quo non epitome,  
sed prooemium duntaxat superest luculenti ope-  
ris, quod temporum vetustas confecit.

### III.

Neque solum ex his, sed etiam ex aliis, in alio  
genere, conscriptis ab Oratore libris, voces formu-  
lasque Rhetor ille, imitando sedulus, deprompsit.  
Nam in *secundo de Officiis diligentiam* de fruga-  
litate extulit, quod Rhetor imitatus, eum *diligen-  
tem* dixit, quem frugalem appellamus. Itaque *par-  
cum et diligentem*, prodigo et luxurioso opposuit,  
quemadmodum Cicero *parcissimum et frugalissi-  
mum* in lib. II. de Oratore coniunxit. Parcus e-  
nim proprie non in vitio est, neque ad virtutis,  
quae sumptus moderatur, extrema recedit, sed  
quoad ratio suadet, res suas sine omni labe custo-  
dit, ac pecunias honeste quaerit et collocat, com-  
parat et erogat, atque adeo illiberalitatis avaritiae-  
que suspicionem fugit. At Graeci, praesertim Peri-  
patetici, *Φειδωλόν* a laude sciungunt, quem Plato  
*πρὸ Φιλαλωτῆ* opponit, speciatim Aristoteles in  
numero illiberalium habet. Quo pacto *Φειδωλοί,  
γλιχροί, κίμβριες*, velut tenaces, avari et sordidi,  
in reprehensionem Aristotelis merito incurrunt.  
*Ethic. Nicomach. l. IV. c. 1. et Magnor. Moral. l. I. c. 25.*  
Vbi coniungit *κίμβρις, κίμβρις, αἰχρονες-*



δεις, καὶ μικρολόγους, quos et σμικρολόγους Graeci vocant. Huc spectat Theophrastus Eresius, *Character. mor. cap. X.* IV.

Suppeditavit hoc tale argumentum Gellius, qui vocabulum *barbarisimi* ante Augusti aetatem non invenisse se tradit, *lib. XIII. c. 6.* Eo igitur indicio recentius esse colligo, quam ut in illud tempus conveniat, quo postremos Cicero Oratorios conscripsit libros. In his *Oratorias partitiones*, suffragatore *Sturmio*, numerant, quas, ut *Corradus* subduxit calculum, anno V. C. DCCVII. composuit, quo adhuc rerum potiebatur Gaius Caesar, necdum aetas Octavii in republica, neque in sermone et notitia hominum versabatur. Eundem Urbis annum ex *Corrado* retulit, nec improbavit *Fabricius Marcoduranus*. Sed annum DCCVIII. posuit *Jacobus Proustius*, et dum *Corradum* sequi voluit, ab eius rationibus discessit, nisi id errori operarum est tribuendum. Haud multo post libros de *claris Oratoribus*, et de *Oratore ad Brutum* scripsit, at *Topica duobus annis* recentiora sunt, et cum Octavii Romani adventu coniunguntur. *Ioannes Sturmius* illum de *Partitione dialogum*, post C. Caesaris victoriam, profligatis Pompeianis, compositum fuisse docet, in quo non fallit, quoniam pugna Pharsalica, quae Pompeii fortunam convertit, commissa est anno V. DCCV. Post



Post hunc *Michael Toxita* arbitratur, eo tempore  
libros ad *Herennium* scriptos, q̄uo *Latina Lingva*  
*corrupta nondum fuit*. Quod caute intelligen-  
dum est, propterea quod *Rhetoris*, de quo lo-  
quor, sermo multis in locis est inquinatus, secus  
atq̄ue existimarunt *Nicolaus Angelius Bucinensis*,  
et *Marinus Becichemus Scodrensis*, qui in prima  
quasi acie stantes, pro auctoritate *Rhetoricorum*  
ad *Herennium* propugnarunt, ad eaq̄ue castigan-  
da operam ac studium contulerunt. At non vi-  
deo, quemadmodum *Ciceroni* ascribenda sint,  
quae a consuetudine scribendi *Ciceroniana* ab-  
horrent, aut dura nimis, ac *Latii* nitore minus di-  
gna esse intelliguntur.

V.

Id vero non tam rationibus, quam exemplis  
confirmandum est, ut ex vocabulorum dissimili-  
tudine non unius, sed diversi auctoris statuendi  
argumentum capiatur. *Libro I. extraria res*, pro  
extrinsecus sumpta, non est *Ciceroniana*, ne *Cice-*  
*ronianae* quidem aetatis. *Lib. II. irreligio*, de vi-  
tio superstitioni adverso, et defectum significante,  
quo aliquis nulla religione ducitur, nec sensum pi-  
etatis habet. Quae vox nova est, sed *irreligiosus*  
vocabulum aetate *Augusti* a *Livio*, et ab aliis de-  
inceps usu tritum est. Equidem in hodiernis e-  
ditionibus legitur, *religio*, sed in antiquissimis ple-  
risq̄ue



risque *irreligio* retinetur, et magis convenit instituto huius Rhetoris, corruptelas et vitia recensentis. Ita legunt *Hieronymus Capidurus, Paulus Manutius, Petrus Victorius, Ioach. Camerarius, codicum auctoritate nixi.* Eo inclinatur *Ianus Gulielmius*, quem deserit *Ianus Gruterus*, et qui hunc sequitur, *Jacobus Gronovius, V.C.* Non tamen sum nescius, religionem esse vocabulum *μῆσον*, et de vero ac falso Dei cultu dici: hic autem non tam prava, quam spreta, et nulla religio ab Rhetore nostro videretur indicari. Alioquin vox *irreligiosi* Latina est et Liviana, sed Ciceronis aevo minime usitata. Praetereo vocabula *decolorati*, et *universalis*, quae Cicero sua non fecit, nisi quod *decolorationis* nomine usus est, in libro II. de *Divinatione*. Quo tamen verbo, ab Seneca ante usurpato, non usus est Plinius, cum de *cumino* vim *decolorandi* habente traderet, l. XX. H. N. c. 14. et 15. Ibi ait: *pallorem bibentibus gignit*, id est, decolorat bibentes, pallidosque reddit: hic quoque scribit: *colorem bibentium mutat in pallorem*, id est, pristinum colorem seu aufert, seu vitiat, pallidumque corpori inducit, sensu facili satis commo- que. Quamvis Seneca philosophus inter *vitia-ri*, et *mutari colorem*, alias distingvat. *Nat. Quaest. l. II. c. 41.* Per *ἀρχεγίαν, ποιῆν*, describit Aristoteles, *κακὴ ἀρχεγίαν* intelligens, speciatim de *bordeo*,  
vim



vim mutandi coloris habente, loquens. *Problem. sect. XXI. quæst. 24.* οἱ περὶ τὴν τῶν στίων ἐργασίαν, οἱ μὲν περὶ τοῖς κελδοῖς ἀχροὶ γίνονται. *Qui rem frumentariam exercent, qui hordeum tractant* (interpres non bene, attrahant) *decolores fiunt, et destillationibus* (catharris) *tentantur.* (infestantur) Inepissime explanator convertit: *imbecilli efficiuntur.* Idem illud repetit Aristoteles *Probl. sect. XXVIII quæst. penult. 10.* Et simul pro stupiditate sua mendosam explanationem repetit interpres. Ἀχροία, ab Aristotele definitur, σῆψις τις χρωτός, et ἀχροοὶ atque εὐχροοὶ opponuntur: sic εὐχρος ποιεῖν, ibidem dicit. Vox, *universalis*, propria est dictionis philosophicæ, a qua oratores et historici omnino refugiunt: hoc magis respuunt vulgare illud, et passim ingeminari solitum, *universaliter*, pro quo dicendum est, *generatim et univèrse.*

## VI.

Redeo ad Rhetoris Herenniani libros, in quorum tertio nihilo emendatiora licet animadvertamus. Cuius notæ sunt: *et industriis*, numero multitudinis: item *gloriae*, numero eodem plura significante. Sic *potestates* de summis in republica dignitatibus, præter Tullianam consuetudinem, dicuntur, quas alibi per *honores et imperia*, orator describit. Similem in modum castigari debet

B

VOCA-



vocabulum, *mentitiones*, pro mendaciis, quod ne Comici quidem usurpare ausi sunt: tum *calliditas* ibi prudentiae nomen obtinet, et pro virtute sumitur, quod in Ciceronis philosophia monstrum est, omnibus Ciceronem imitantibus fugiendum. Quam enim is in lib. de Officiis a iustitia remotam docet, hanc Rhetor describens, prudentiam, nominat, *quae ratione quadam possit delectum habere bonorum et malorum*. Hoc dilucide exempla commonstrant, illud praesertim, quo Tullius Romulum suspitione calliditatis liberat, et vitii simulatae religionis absolvit. *L. I. de Divinatione. L. IV. Conflagrata*, nusquam in scriptore idoneo, nedum in Cicerone, forma verbi patiente, reperiamus. Cremata enim et combusta Latini vocant. Seneca autem usta et combusta distingvit, *ut omnia, quae combusta sunt, utique et usta sint, at non omnia, quae usta, utique et combusta sint. N. L. Q. lib. cit. c. 40.* Taceo dictiones integras, a consuetudine Tulliani sermonis remotissimas, quae Rhetori Tullianae imitationis oblito, per imprudentiam exciderunt. Qvae sunt lib. II. *causa supersedenda*, quod genus loquendi vitiosum est, et alibi eodem libro recte ac emendate usurpatum, quum scribit: *repetitione supersedendum est. L. III. Disciplinabilis scientia*, nullum a Cicerone colorem ducit. Nomen illud effectum est ad



ad significandam rei per disciplinam obtinendae facultatem, ita ut scientia haec intelligatur *disciplinabilis*, quae idonea habilisque sit ad instruendos homines, et praeceptis ac institutione formandos. Minus apte I. C. Merckius exponit, *disciplinabilis, per disciplinam acquisitus*. Illud ceteroquin verbum ab eo formatum est, ut a Tullio vocabulum, *ignorabile*, quo semel usus est in *L. II. de Inventione*, sed non alibi, quam in characteribus philosophico usurpandum. Non praetermittendae sunt Graecae voces, *eclipses Solis et Lunae*, quae ab usu Tullianae dictionis longissime absunt. Nam *defectiones Solis et Lunae* vocat, in libris, quos more philosophorum tenui sermone conscripsit, *de Natura Deorum lib. II. et de Divinatione l. I.* Nomen *defectus* semel ab eo usurpatum recte commemini, quum de Sole agit, qui Lunae interposito obscuratur. *De N. D. lib. II.* Sic et Plinius nominat *defectus stellarum Solis et Lunae*. Aliquando et *deliquium*, vocabulo ex Plauti *Captivis* sumpto, et ad rationes coelestes, inclinante Latinitatis aetate, accommodato. *L. II. H. N. c. 12. et 13.* Seneca usitatus Latii florentis vocabulum retinuit, *N. Q. lib. VII. c. 3.* Livius ante Senecam non Lunae defectionem, sed *Lunam deficere* dixit, quum *umbra terrae conditur*, et populariter loquendo, *non obscuratur*, ut C. Sulpicius Gallus disserit



apud Livium l. XLIV. c. 37. Adeo gravitatis suae, et lacteae ubertatis memor Patavinus, styli historici dignitatem servat, eamque a tenui ac subtili sermonis genere, quod in libris inest *philosophicis*, scite sapienterque hic distinguit. Gellio in tali argumento vocabulum *defectus* placuit, quod usu probavit l. II. c. 28.

### VII.

Illud autem nos excusare, convenit, et pro certo ab ingenuis existimatoribus concedi debet, quod Rhetor in quibusdam singularibus non arguendus sit, ni ipse Cicero illiberali audacia arguatur. In his est definitio *historiae*, quam Rhetor ex Ciceronis primo *de Inventione* sumpsit, neque assecutus est, quã libros aetate scripserit Cicero, quos profecto aetatis ratione distingui, et cum posterioribus maturiori industria scriptis conferri oportuisset. Sed enimvero nonnunquam sibi Rhetor indulget, nec melius accuratiusque ius naturae per *naturam* describit, lib. II. Illa quoque durius dicta accipio, quae apud eum leguntur, ut *in animo frequentare*, pro saepe multumque secum cogitare, l. III. *exhaustus rubor*, de profligato pudore, l. IV. Eodem libro *Neptunias lacunas*, poetarum non Ciceronis exemplo dixit. Sed, *animi vitium cum causa peccati conglutinare*, imitatione Oratoris defenditur, quippe qua in tralatione  
non



non tantum coniungendi, sed *artiffime coniun-*  
*gendi* significatio inest. Nec magis pro Cicero-  
nianis habenda sunt vocabula, *inapparatio*, l. II.  
*confinis*, lib. IV. pro finitimus, *electores*, pro viris  
eligentibus, *exaugere*, pro adaugere, libro eodem.  
Diverfa est ratio vocabuli *inaedificationis*, quod  
Iureconfulti recte sibi vindicant, qvanqvam *Lexi-*  
*cographi*, ut multa eiusmodi alia, omittunt. Le-  
gitur apud Plautum in milite glorioso *A. II. sc. 2.*  
*v. 55.* Vbi lectio non est sollicitanda. At *deno-*  
*minatio*, qvam Rhetor ascivit vocem, *technicorum*  
propria est, non principis Oratorum Ciceronis.  
Vulgata autem locutio, *in locum alicuius denomi-*  
*nare*, neutrius, neque Oratoris, neque Rhetoris au-  
ctoritate comprobatur. Recte enim is pureqve scri-  
psit, lib. I. *in demortui locum nominare*: similiter  
atqve Livius *in demortui locum legere*: perinde ac  
Cicero, *legere in senatum*, pro cooptare in sena-  
tum, scripsit. In reliquis scribendi partibus Rhetor  
munditiem sermonis et proprietatem mihi,  
ac veris Latii existimatoribus approbavit. Nec  
tamen hic praetermittendum puto, quod in re-  
petendo ordinis adverbio, *deinde*, modum ex-  
cessisse videatur, id quod ipsemet quidem Cicero  
aliquoties, et uno in loco qvater repetere consue-  
vit, sed Rhetori singulare est, quod quinqvies in  
lib. II, hoc duxerit repetendum.



## VIII.

Et si autem in his talibus minime salus Latii  
 vertitur, tamen casti sermonis interest, ut in ha-  
 rum cogitatione literarum defixi, non modo in-  
 quinata ab integris et puris, sed etiam Ciceronia-  
 na a non Ciceronianis distingvamus. Quod ple-  
 rumque in librorum indicibus, et vocabulorum  
 commentariis negligitur, eaque inconsulta citan-  
 di ratione, diversum loquendi genus confunditur  
 saepe et commutatur. Sic formula, *scio, quod*,  
 si maxime sit Plautina, et a Livio Phaedroque u-  
 surpata, non tamen est Tulliana, neque Tullii ae-  
 tate usitata. Hoc magis observanda, et distin-  
 guenda sunt verba numeris astricta, quae nemo  
 vel mediocri doctrina praeditus, in Tullianis re-  
 ponat. Inter ea refero *mulcendi* verbum, ex op-  
 tima quidem Latinitate repetitum, sed solutae  
 orationi Tullianae non immiscendum, quod velut  
*poeticum* subterfugiebat, neque enim obsoletum,  
 aut novum erat, quae sane idonea vitandi eius  
 verbi causa esse potuisset. Sed ea, ut indicavi,  
 hic locum non habet, quandoquidem suo id ex-  
 emplo ostendit Tullius, et in oratione duntaxat  
 vineta adhibuit, speciatim in *Arateis, quae super-  
 sunt, fragmentis*. Graeci, praesertim poetae,  
*ῥέλειν* dicunt, *κηλεῖν* proprie est voce cantu-  
 que permulcere, sive ut Petavius reddit, delini-  
 re,



re, *πρᾶννεν* potius est mitigare, quam permulcere, quod de Orpheo, post veteres *mythologos* tradit Themistius. Igitur *Themistianum*, *πρᾶννεν καὶ μαλάττειν*, expono, *mitigare, et mollire*, secus atque convertit. Dionys. Petavius, permulcere et emollire. *Orat. II. de Constantio Imp. p. 37. noviss. edit.* Quare omni asseveratione confirmo, Ciceronis *Orpheum*, id est, libellum de Orphei moribus, et vita, quem ad Marcum filium Athenas scripsisse fingitur, vel huius verbi indicio non posse referri inter libros, ab tali oratore profectos. Negligentia auctoris, asperitas verborum, et orationis squaller, compositionisque dissimilitudo, non modo non disertum, sed quoque ieiunum produnt scriptorem. Ut qui contra sentiant, aut in oblivione Latini sermonis, aut in ignoratione Ciceronianae dictionis versari videantur. *Orphei huius editio curata et confecta est a Iulio Caesare Glusiano Squarcia Mantuae A. M D X C I I I. Quam rursus exire voluit Fridericus Monavius, quem scabrum strigosumque orationis corpus, quod in Orpheo cernitur, commonere poterat fraudis. Nam Glusianus ne ab imperito quidem vulgo se abduxit, quum ab Orpheo nescio quam Orpheiam philosophiam deduxit, quando eum scire oportuit, Ciceronem carmen Orphicum, et sacra Orphica, non Orpheia, dixisse. Idem ille ἐνιστάσθαι νομι-*



nominat *abalienationem mentis*, quae ratio lo-  
quendi Ciceronianas aures offendit. Neque *ec-  
stasi* mens abalienatur, quod in odiis atque inimi-  
citiis usu venit, sed a statu suo discedit quodam-  
modo, atque ultra suos cogitandi fines se attollit,  
et altius erigit, qualisque extra se consistit, quae  
non tam abalienatio, quam aberratio mentis vi-  
deri possit. Victorinus *alienationem mentis* ex-  
posuit, rem potius, quam verba spectans, *l. V. de  
Contemplat.* Plerique *excessum mentis* meliori  
sensu, quam latinitate convertunt, quos sequitur  
Dionysius Novariensis, exemplo, ut existimare li-  
cet, vulgati *bibliorum* interpretis confirmatus, *A-  
ctuum Apostol. X. 10. et XI. 5.* Aliena hic, sed ni-  
hilominus consuetudini Graecae loquentium con-  
sentiens est significatio, quae mentis stuporem no-  
tat, *in oraculo Marci V. 42. XVI. 8. et Lucae V. 26.*  
Praeterea *echo annuens* non recte Oratori tribui-  
tur: *non echo*, quae ante Plinium in soluta ora-  
tione nusquam legitur, poetas enim Plinio prio-  
res excipio: *nec echo annuens*, quia echo pro-  
prie non annuit, sed vocem clamantis reddit, ob  
eamque causam imago vocis appellatur. Illud  
adiiciendum est, quod *laterum torsio* non recte di-  
catur, atque hoc documento auctor, Orphei pere-  
grinitatis convincatur. Idcirco libellus ille dignus  
est, qui Herennianum fatum experiatur, atque eo-  
dem



dem loco, quo Ciceronis *Consolatio*, habeatur, quoniam haec multo limatior est, et ad Ciceronianam dictionem propius accedit.

IX.

Mitto haec vitandae satietatis causa, et me convertito ad testimonium *M. Fabii Quintiliani*, Cornificium memorantis, quem non modo titulus in antiquis exemplaribus auctorem praefert, sed etiam rei tractatio, quae utrinque congruit, aperte confirmat. Nam *enthymema*, quod Cornificius rhetor *contrarium* vocat, quodque citat Fabius capite decimo quinti libri Institutionum oratoriarum, in ipsomet Cornificio quaeri debet, et inveniri potest, sigillatim in quarto eius Rhetoricorum libro, ubi gemina leguntur, quae fidem faciant, eundem a Fabio intelligi, quem Rhetorem suo merito Herennianum nominamus. Haud alius apud Fabium existimandus est, qui inter magistros artis relatus, de figuris diligenter et copiose tradidit, quod ita accepit Martius, ut eum negaret esse auctorem Rhetoricorum Herennio inscriptorum, hac veri specie, quod Cornificius *non de figuris tantum, sed de tota arte Rhetorica tractasset.* *Locus Fabii extat lib. IX. cap. 3. Instit. Orat.* Docet enim vero Fabius, *libros huius operi* (quod figuras elocutionis complectitur.) *dedicasse Caecilium, Dionysium, Rutilium, Cornificium,*



*cium, Visellium*, quod de auctore Rhetoricorum ad Herennium dici non possit, quippe qui non tantum de figuris tractavit. Eo summa redit dissensionis Mattianae: cuius vim rationis facile infringat, quisquis libros Rhetoris Herenniani legerit, et sigillatim librum eius quartum, qui totus in figuris consumitur, consideraverit, ut fecisse intelligo *Raphaelem Regium*, qui primus in Italia insignem styli dissimilitudinem, inter Rhetorem Herennianum et Ciceronem expendit sedulo atque agnovit. Idem ille Rhetor *circumscriptio-*  
*nem* Ciceronis vocat sententiam breviter comprehensam, quam *ῥεγυπέειαν* nominat Rutilius Lupus, *lib. II. de figuris elocutionis*. Apud Ciceronem quoque significat *verborum ambitum*, qui sumpto a Graecis nomine, *periodus* dicitur, et *περιεραφή* καὶ *περίληψις* nominatur. Sic et *περιαγωγή* Demetrii Phalerei ab interprete exponitur circumscriptio, rectius *circumductio*, siquidem *etymi* vim specto. *De Elocutione CCVII*. Alio nomine comprehensio appellatur, Graecae imitationis argumento, *apud Fabium l. IX. c. 4*. Alia, neque huius instituti est notio, qua fraudem designat, usu Ciceronis, et veterum, qui in Latio flourerunt, iurisperitorum. Sic finitio, ut legitur apud Fabium, usitatori vocabulo dicitur ab Rhetore *definitio*, a Rutilio *ὀρισμός* nuncupatur.  
Re-



Restat controversia de *occultatione*, pro qua  
Matti<sup>us</sup> *occultationem* legit, ut vulgati quidem in-  
stitutionum oratoriarum libri habent. Sed nullam  
eiusmodi figuram apud veteres artis magistros in-  
venire licet, quae res non modo iustam deprava-  
tae vocis suspicionem affert, verum etiam idone-  
um emendationis argumentum praebet, ac per-  
mover, ut Fabium ex Rhetore Herenniano cor-  
rigamus, mendique culpam in librarios confera-  
mus. Quae ratio apud Riccobonum valuit, ut  
eruditam hanc coniecturam probaret, atque e-  
mendationi locum daret, praesertim cum igno-  
tum, et omnino commentitium sit tale *occulta-  
tionis schema*: contra in omnibus Rhetoris He-  
renniani libris consentiens lectio reperitur. Suf-  
fragatur Sirebaeus, sed praeterit controversiam.  
*Edmundus Gibson*, qui adhibito codice Bodleia-  
no, novissimam Fabii editionem concinnavit.  
Nec quippiam tale attigit *Jacobus Proustius*, qui  
non ita pridem recensuit Rhetorem Herennia-  
num. Ni ita esset, non improbanda videri posset  
Riccoboni coniectura, Fabium ex alio, quod iniu-  
ria temporum interciderit, Rhetoris Herenniani  
opere, praedictum illud *occultationis schema* de-  
sumpsisse. Illam vero conciliandi rationem inire  
nolim, propterea quod me legere non memini, al-  
ios Rhetoricorum libros a Cornificio Rhetore  
con-



conscriptos. Retinenda ergo est *occupationis figura*, qua praeteritio ab Rhetore denotatur. Nec vero de sententia me dimovet, quod Rhetor Cornificius in allato *translationis* exemplo sibi non constet, cum haud nescire potuerit Mattius, idem saepe exemplum, diversa considerandi ratione, ad diversas referri figuras, neque artis peritos fugiat, translationem plane finitimam esse *agnominationi*. Proinde nemo tam iniquus sit, ut Cornificium laude sua fraudare audeat, et quatuor Rhetoricorum libros multa cum diligentia scriptos, atque ex Cicerone utiliter decerptos, et certo iudicio in ordinem redactos, apteque dispositos, vero auctori detractos velit. Quod tamen cupit atque contendit Mattius, tamen vix reperiri adhuc repugnantes credo, si Mattii, quas obvertit, rationes multum, diligenterque expendant: ita enim fiet, ut irritum, et intempestive sedulo dissentientis acumine non se fatigari, nec de sententia deduci patiantur. Qua in re et doctrinam, et iudicium mihi probarunt *Raphael Regius, Petrus Victorius, M. Antonius Maioragius, M. Antonius Muræus, Antonius Riccobonus, Carolus Sigonius, Paulus Manutius, Aldus pater M. Gallioni assignandos censuit, neque alia fuit sententia Scaligeri patris. Quin ipse, quem laudavi, Regius non nihil dubitans, nunc Cornificio, nunc Virginio, nunc Timolao ascribit, eaque de causa a Becichemo castigatur. Becichemus autem et Angelius audaci imperitia Ciceroni vindicant, quod ante eum focisse observo Hieronymum Stridoniensem, Priscianum Grammaticum utique eruditum, Georgium Trapezuntium, Leonardum Aretinum, utrumque Vallam, Laurentium et Georgium, Angelum Politianum, Antonium Mancinellum, non hec esse iudicio viros. Reliqui fere omnes, excepto Gerardo Ioanne Vossio, subdubitant, et ad incertum auctorem referre malunt.*

\* §. 6. et populariter loquendo non, dele, ac lege: et intercepto lumine obscuratur.



Ulrich Henberg, Diss., 1702 S-2-  
1703

ULB Halle

3

003 949 826



f

1702


1703











Farbkarte #13

B.I.G.

*283*  
D. D. B. V.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,  
FRIDERICO AVGVSTO,  
DE  
AVCTORITATE  
RHETORICORVM  
AD HERENNIVM,  
PRAESIDE  
C.S. SCHVRZFLEISCHIO,  
Professore Publico,  
disputabit  
M. LEONHARDVS GEBEVERVS,  
Silesius,  
RESPONDENS,  
Ad DIEM VII. IVLII,  
An. c1o 1o CCIII.

28

*1203,  
6a*

---

VITEMBERGAE,  
Prelo CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

*St*

